

Si mancipium tuum ex sua, sed absque culpa tua intulerit damnum, teneris pro noxa tradere mancipium, vel totum damnum reparare. 2. Instituit. ff. & cod. De noxalibus actionibus. Si per incuriam non extinxisti ignem, ex quo fuit domus combusta, teneris ad reparandum damnum; arg. leg. Si servus, §. Si quis fornicarius, ff. Ad leg. Aquiliam. (Leg. 11. tit. 15. p. 7.) Si inconsiderate nullo dato prius signo aliquid deieceris ex alto, vel domo, aut navi projecisti, unde alicui transeunti, aut adstanti damnum est illatum, teneris ad resarciendum; Leg. 5. Statuitur 4. Instit. Leg. Si putator ff. ad Legem Aquiliam, in qua expresse dicitur: Culpam esse, quod cum a diligente prevedideri poterit, non esset previum. Sic caupo, nauta, stabularius &c. in cuius domo, navi, stabulo &c. furtum est factum, teneris ad reparandum damnum causatum ab his, quorum opera usi sunt; l. Item exercitor, 3. Instit. de obligat. ex quasi delictis; leg. ultim. ff. Nauta, Caupo, Stabularii &c. Et sic de aliis huiusmodi. (Vid. leg. 15. tit. 6. p. 1. 4. tit. 8. 6. 7. tit. 15. p. 7. & in princip. animadvert. 10. §. 13. tit. 23. lib. 8. Recop. Caus. circa caupones &c. Vid. leg. 6. tit. 14. cum seq. p. 7.)

9. Damnificatio inculpata dicitur quando nulla omnino culpa interveniente damnum inferitur; Vel quia damnificans non est capax culpa, ut si infans, vel furiosus domum incendat, c. Illud relatum 2. caus. 15. quest. 1. & seq. Sed etsi ff. ad legem Aquiliam, vel quia damnificans in praecedendo damno alterius prius omnem diligentiam adhibuit; cap. Si culpa 9. De injuriis, & damno dato, ibi: Sane licet qui occasionem damni dat, damnum videatur deesse; tunc est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingebat nihil omisit, §. 4. 5. Instit. de lege Aquilia; Vel quia justa causa est damni inferendi, ut cum domus incensa, in parte nondum ardente destruitur, aut aedes contigua, ne ignis latius diffusus damnum inferat; aut cum in bello justo hostibus damna inferuntur, quia omni jure vim vi repellere licet, l. Scientium ff. Ad legem Aquiliam; aut cum quis in suo fundo fodiens vicini fontem averit, si non animo nocendi vicino, sed suum agrum meliorem faciendi, id facit, textu expresso in l. §. Denique Marcello, ff. De aqua pluviali arcend. quia nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur; l. Nullus, de Regul. juris; & nemo damnum facit, nisi qui id facit quod facere jus non habet. (Repete que supra sunt adnotata; vid. verb. Accusari qui possint vel non Reg. 14. 15. tit. 34. p. 7.)

10. Ex dictis colliges primo, illum teneri in foro conscientiae ad reparandum damnum alteri illatum, qui illud causavit, nedum per damnificationem culpam theologicam, & proprie dicto peccato, ut expresse statuitur cap. Si quis 6. cap. Olim 7. cap. Si culpa tua 9. de injuriis, & damno dato; sed etiam per damnificationem culpa civilis, seu juridica lata: Et ratio est, quia culpa civilis, seu juridica lata supponit gravem culpam theologiam, cum late culpabilis juridice omittat illam diligentiam, & cautelam communiter ab omnibus suae conditionis adhiberi solitam pro avertendo gravi damno proximi, ad quod grave damnum proximi avertendum quilibet jure naturae tenetur, adeoque qui illam omittat, censetur causa moralis illius damni, & hoc ipso theologice fit culpabilis. Ita Innocentius cum aliis interpretibus in cap. Sicut 6. de homicid. Silvester verb. Culpa n. 5. & 6. Molina disp. 25. 3. n. 7. Palao tract. 23. disp. 3. p. 1. n. 7. & communis aliorum.

11. Colliges secundo, neminem (praescindendo a contractu) teneri in conscientia ante sententiam Judicis ad resarciendum damnum alteri illatum per damnificationem civilem, seu juridicam solum levem, & levissimam. Et ratio est, quia si leges, & maxime citatae supra n. 7. & 8. alieque consimiles imponerent obligationem in conscientia solvendi ante sententiam Judicis, essent nimis rigidae attenta hominum fragilitate, & cum nemo reperitur, qui propter culpam juridicam solum levem, & levissimam sponte sua restituat, innumeros laqueos injiceret conscientias absque necessitate boni communis, cui sufficienter, & abunde satisfit obligando ad damna resarcienda post sententiam. Sic Lugo tom. 1. disp. 8.

sect. 3. n. 47. Lessius lib. 2. cap. 7. n. 44. Molina tom. 3. disp. 712. n. 6. Hannold tit. 2. n. 170. & 176. Esparsa q. 26. La Croix lib. 3. part. 2. n. 173. & alii passim. Nec valet dicere, quod si tales damnificantes non tenerentur in conscientia ante sententiam Judicis, censenda esset injusta. Non valet, inquam, quia negatur absolute consequentia; saepe enim Judices, auctoritate legis decernunt per sententiam alicuiam restitutionem, quae ante sententiam non erat debita; Cum enim leges statuente debere resarciri damna illata ex culpa juridica levi, & levissima, justissimis de causis sint posita, partim ut quilibet magis invigilet, ne sua, vel suorum culpa damnum aliquod proximo inferatur, sicque pax communis, & publica civium quies, atque indemnitas suorum conservetur; partim ut praevideatur innumeris fraudibus, & malitiis hominum, quae in foro externo sunt difficillimis probationis; sententia Judicis conformiter dictis legibus lata, merito etiam in foro conscientiae obligat, non obstante quod ante eam necdum adfuerit talis obligatio resarciendi damnum ex culpa mere civili, vel levissima, & sine omni culpa theologia illatum.

Colliges tertio, doli, seu culpae theologicae incapaces in nullo foro teneri ad resarciendum aliquid damnum; cap. Illud relatum 2. caus. 15. q. 1. & leg. Sed etsi ff. Ad legem Aquiliam. Sic nec teneris ad resarciendum damnum, qui adhibuerunt debitam diligentiam pro illo avertendo, c. Si culpa 9. de injuriis, & damno dato, juncto §. 4. & 5. Instit. de lege Aquilia, cum concordantibus. Sic non teneris ad damnum resarciendum, qui illud causarunt utendo jure suo; l. 1. §. Denique Marcello, ff. De aqua pluviali arcend. Nullus, de reg. juris. Vid. supra n. 9. Sic in nullo foro tenetur aliquis resarcire damnum, quod casu omnino fortuito, qui praevideri, & evitari non potuit, contingit; c. Cum gratia unica, de comodato, §. l. 1. §. 4. de obligat. & action.

De damno, an rebus alienis licite inferri quandoque possit, utilis est investigatio. Optime vero illustravit hoc argumentum Strivius Juridic. dissert. tom. 5. disp. 5. per tot. Octo autem sunt hujus disputationis capita totam materiam exhaustientia. Primum ita conceptum est: Generalia damni licite exhibentia. Secundum: De damno rebus alienis licite illato in instruendo. Tertium: De damno rebus alienis licite illato in instruendo. Quartum: De damno rebus alienis licite illato in asserendo. Quintum: De damno rebus alienis licite illato in asserendo. Sextum: De damno rebus alienis licite illato in asserendo. Septimum: De damno rebus alienis licite illato in asserendo.

DEBITOR, DEBITUM. Vide verb. Resitutio, Solutio.

DEBITUM CONJUGALE.

ARTICULUS I. SUMMARIUM.

- 1. Conjuges tenentur sub mortali reddere debitum conjugum, instantem petenti, nisi adsit justa causa.
2. Quoties mortaliter peccant, si denegatur ad n. 8.
10. Causa justae denegationis, ad n. 26.
27. Variis assignantur propter quas nequeunt conjugum debitum denegare, ad n. 40.
41. Quando non licet petere, aut debitum reddere, ad n. 50.
51. Reddi quando potest, & non peti, ad n. 57.

CONJUGES tenentur sub mortali reddere debitum conjugum petenti serio, & instantem, quando nulla illud denegandi intervenit causa justa, ac rationabilis: Est communissima, & habetur expresse ex Apostolo 1. ad Corinth. cap. 7. num. 3. ibi: Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro, quia, ut num. 4. rationem redditus subdit Apostolus: Mater sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Et volens Apostolus ostendere, quod hac obligatio reddendi debitum urgeat conjuges sub

gravi, & de justitia, sub num. 5. ejusdem debiti negationem appellat fraudem: Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacet orationi; & iterum revertimini in idipsum, ne teneat vos Satanat propter incontinentiam vestram. Hinc recte inferunt DD. communiter, quod conjugum injuste negans debitum alteri conjugum serio, & instantem petenti, peccat mortaliter toties quoties. Unde peccat contra justitiam ex genere suo mortaliter conjugum ille, qui ad reddendum debitum reddi se notabiliter impotenti immoderatis jejuniis, vigiliis, laboribus, & huiusmodi, aut voluntariis pollutionibus, ut communiter tradunt & DD. signanter Sanchez lib. 9. disp. 3. num. 3. & 4. S. Anton. part. 3. tit. 1. cap. 2. §. 10. Silvester verb. Debitum quest. 1. Paludan. in 4. dist. 32. quest. 1. art. 2. conclus. 3. Dicastill. disp. 9. dub. 29. Coninch. disp. 32. Layman lib. 9. tract. 10. part. 3. cap. 1. n. 2. Sporer tom. 3. part. 4. cap. 2. n. 506.

Notanter autem fuit dictum, petenti serio, & instantem, id est tali modo ut constet conjugem velle exigere copulam tanquam debitum conjugale; nam non peccat conjugum conjugum debitum semel tantum, & obiter, vel implicite petenti, modestè denegando, tergiversando, se excusando, prece, vel suavis avertendo petentem, si id non valde aegre latum videatur; Et communis cum Sanchez, & Layman locis citatis. Si tamen cognoscatur, conjugem tergiversationem talem, seu excusationem, aut avertemen prece, vel suasionem valde aegre latum, & advertat ex privatione debiti conjugalis cum periculo incontinentiae exponi, tunc pertinaciter negans, seu se excusans, aut dissuadens, peccat mortaliter, licet percipiat conjugem non adeo serio, & rigorose tanquam debitum copulam exigere; Ita etiam communis cum Sanchez, & Layman locis citatis. Ad dignoscendum quod conjugum serio debitum conjugale petatur, non est necessaria petitio expressa, & formalis, sed sufficit tacita, virtualis, & interpretativa, quae habeatur ad signis indicantibus seriam voluntatem petendi; Divus Thomas in 4. dist. 32. quaestiuicula prima in corpore; D. Antonius tertio parte tit. 1. cap. 10. §. 7. & alii communiter. Et hoc maxime verificatur in femina, quae postissimam subditur verendum; & praerubore non petit expresse, quod anxie peti, & ubi quomodocum constat de voluntate, parum refert, quod verbis, vel signis indicatur, per textum in legib. De quibus ff. de Legibus. Et hoc etiam potest interdum verificari in viro, qui sit talis conditionis, ut vel ratione majoris dignitatis in femina, vel naturalis timoris, & verendum in ipso, non audeat expresse, & verbaliter petere, tunc enim femina tenetur signis saltem sensibilibus, & interpretativis exhibere actum conjugalem, cum tam in petendo quam in reddendo conjugis sint pares; ex cit. Epist. 1. ad Corinth. cap. 7. arg. cap. Praeceptum 19. & capitulum. Apud nos 29. caus. 32. quest. 5.

Notanter etiam fuit dictum, quando nulla illud denegandi intervenit causa, & rationabilis causa; Dantur enim plures, & rationabiles causae, quibus interventibus potest licite debitum denegari; Primum, conjugum innocens potest denegare debitum conjugum adultero, ut colligitur aperte ex cap. 5. & 19. Matt.: frangenti enim fidem, fides merito non servatur ex reg. 73. Juris in 6. ibi: Frustra tibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fradem dem a se praestitum servare recusat. Si tamen etiam alter conjugum esset adulter, negare debitum licite non possent, quia jam injuria adulterii sibi invicem compensatae essent: cap. Intelleximus 6. cap. Tua fraternitas 7. de adulteriis. Ita communis. Secundo, conjugum innocens liberatur ab obligatione reddendi debitum, si alter conjugum jure petendi debitum privatus sit ob incestum commissum cum conjugis conjugum in gradu primo, vel secundo; Nam ubi cessat jus petendi, consequenter cessat obligatio reddendi conjugum autem incestuosus in potestatem amittit jus petendi debitum, cap. Transmissa 4. cap. Tuae fraternitatis 10. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae, cap. Si quis viduam 20. cap. Qui dormierit 21. Concubuit 20. caus. 32. 97. Postquam tamen incestuosus dispensationem super petendo debito impetravit, jus exigendi debitum plene recuperat.

ravit; Sanchez lib. 9. disp. 6. n. 10. Layman loc. cit. n. 13. & alii passim. Tertio, conjugum innocens potest denegare debitum conjugum, qui sodomiae, vel bestialitatis crimine sese turpiter inquinavit. Si enim ratione adulterii, & incestus potest ad conjugum innocenti denegari debitum conjugum reo, a fortiori poterit denegari ratione sceleris sodomiae, & bestialitatis, cum sodomiticum scelus incestum cum ipsa matre commissum horrore, & enormitate superet, ut expresse cavetur ex S. Augustino in cap. Adulterii malum 11. caus. 32. q. 7. & qui cum carne bestiae carnem suam divisit, indignus prorsus fit, ut posterum nunquam cum conjugum fiat una caro; Qui enim ob execranda illa scelera igni vivus secundum leges tradendus est, (Vid. add. his. verb. Forum, vers. In nefando.) quo pacto fidelis conjugis consortio dignus videri possit? & colligitur ex cap. Idolatria 5. caus. 23. q. 1. ubi de mente S. Augustini declaratur, posse denegari debitum, & fieri separationem ad conjugum reo cujuscumque perniciosis, & turpis concubitus: Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quae in stupris cum alienis viris, aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quae animam corpore male utentem ad Legem Dei aberrare faciant, & pernicioso turpiterque corrumpunt, possit sine crimine, & vir uxorem dimittere, & uxorem virum, quae exceptam facit dominus causam fornicationis, quam fornicationem... generalem, & universalem intelligere cogimur.

Quarto, potest conjugum denegare debitum, quoties ex tali redditione sibi timetur grave periculum salutis corporalis: v. g. mortis, vel morbi gravis, & periculosi, ut si petens peste, lepra, morbo gallico, vel alio contagioso morbo, & probabiliter certo infecturo laboret, aut si petat debitum ab eo, qui febris hectica, vel alio morbo laborat, ratione cujus reddendo debitum gravis est infirmitas, vel periculum timeatur; Ita communis cum S. Thoma, & Scoto in 4. dist. 32. Abbate in cap. 2. de conjug. leproso. & alii, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 9. disp. 24. n. 16. Layman loc. cit. n. 5. Et ratio est, quia ex naturali interpretatione conjugum in matrimonii contractu corporum potestatem inter se dant, salva suarum personarum incolumitate, adeoque cum timetur grave periculum salutis corporalis, non urget obligatio reddendi debitum. Nec obstat id, quod respondit Alexander III. in cap. Quoniam 2. de conjug. leproso. ibi: Si virum, vel uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus ad sano debitum exigit, generali praecipio Apostoli, quod exigitur est solvendum, cui praecipio nulla in hoc casu exceptio invenitur. Non obstat, inquam, quia respondent communiter DD. apud Silvestrum verb. Debitum, quest. 1. §. Secunda, Sanchez lib. 9. disp. 24. n. 17. Layman loc. cit. n. 6. Pontificem ita respondisse ex praesumptione, quod conjugum reddendi debitum propinquum infectionis periculum plerumque non imminere a leproso, praesertim cum raro admodum fiat, situsque mutatione, ac vestitu periculum cavere possit; At non pro casu, & morbo, quo conjugum sanus debitum persolvere nequeat, quin ex iudicio periti Medici morbum contrahat, quia in tali casu & morbo nemo tenetur sui corporis vitam, & incolumitatem pro privati hominis peccato vitando exponere; cum in necessitate simpliciter positus non sit, sed alia concupiscentiae remedia adhibere possit: Quae explicatio, & exceptio est justa principium, quod constituit D. Thomas in 4. dist. 32. art. 1. in corp. dicens, unum conjugum non teneri ad debitum alteri reddendum, nisi sub ista conditione, salvo tamen prius persona incolumitate. Si quis autem sponte contraxit cum persona, quam prius sciebat lepra, vel morbo gallico, vel alio simili morbo contagioso laborare, non potest ipse denegare debitum, nec cohabitationem, quia censetur cessasse juri suo, sicut is, qui sciens vitium meretis nihilominus emit, ut cum communissima DD. docet Sanchez loc. cit. n. 22. §. Porro.

Quinto, debitum conjugale denegare potest mulier illa, quae ex antecedentis periculosissimi partus experientia, & ex Medicorum, & Chirurgorum iudicio scit non posse sine manifesto vitae periculo partum emittere;

Est Communis cum S. Thoma in 4. disticti. 32. quæst. unic. art. 1. in corpore, ubi expressè dicit, mulierem non teneri ad debitum, nisi sub ista conditione, salva tamen prius persona inedumitate. Sexto, debitum denegare potest uxor gravis, quando ex redditione periculum probabile mortis (vel etiam abortus) timetur proli jam conceptæ; immo tunc nec petere, nec reddere licitum est; c. Origo, eaus. 32. quæst. 4. cap. non solum 15. caus. 32. quæst. 7. cap. Si caus. 4. caus. 33. quæst. 4. ut observat Layman loc. cit. n. 7. Si tamen ex mutatione situs ac commodi possit evitari tale periculum, tenetur uxor gravis debitum reddere marito illud serio petenti Omnes.

Septimo, potest conjux denegare debitum, quando alter conjux illud petit in amentia, ebrietate, aut alias constitutur extra usum rationis, quia talis non petit actu humano, & libero rationaliter ut homo, sed potius ut bestia; Est Communis. Si tamen conjux ebrius, vel amens accessurus esset ad aliam, vel se polluturus, tunc uxor tenetur per accidens, & ex charitate saltem reddere ob impedienda mala inde emergentia; Ita Communis.

Octavo, potest conjux debitum denegare, quando alter immoderate, ac nimis frequenter petit, quia non videntur conjuges sese obligasse ad usum immoderatum, præsertim cum repugnet decencie, ipsique valetudini, unde non peccat conjux, si v. g. petenti reddat, & quarta vice neget, ut notat Gloss. in cap. Quoniam dist. 31. La Croix lib. 6. part. 3. num. 396. Sporer tom. 3. part. 4. cap. 2. num. 513. & alii. Non, potest conjux debitum denegare, si publice, seu coram aliis exigatur, aut in ecclesia, ubi sine sacramento conjugalibus actus exerceri non potest, excepto necessitatis casu, si videlicet conjuges diuturno tempore inclusi in sacro loco, ob humanam fragilitatem in periculo incontinentiæ versentur.

Ita Communis D. Decimo, potest conjux ante elapsos duos menses à contractu matrimoniali denegare debitum, si nondum sit consummatum matrimonium; potest enim conjux ante consummationem matrimonii religionem ingredi intra duos menses, unde ante elapsum tale tempus non tenetur illud consummare reddendo debitum cap. Ex publico 7. de conversatione conjugat. cap. Commissus 16. de sponsalibus, & matrim.

Undecimo, conjux potest, immò & debet denegare debitum conjugale alteri conjugi illud etiam serio, & instanter petenti, quando ambo unanimi consensu ante, vel post matrimonium consummatum, continentiam voverunt; habetur clare de mente S. Augustini in cap. Quod Deo 4. caus. 33. quæst. 1. ibi: Quod Deo pari consensu voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuitis, à quo proposito, si lapsus est ille, tu saltem instantissime persevera. Et sic docet D. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. q. 2. ad 3. & 4. & S. Antonin. 3. part. Sum. Theolog. tit. 1. cap. 1. §. fin. præcisè his verbis: Cum interque pari consensu voverint continentiam, nullus eorum potest, vel debet exigere debitum, vel reddere, nisi cum peccato mortali, & alii communiter. Duodecimo, conjux potest, & immò debet denegare debitum alteri conjugi illud petenti, quando sibi invicem promiserunt sub juramento abstinentiam ab usu matrimonii ad certum tempus, v. g. pro toto tempore quadragessimæ ut colligitur ex cap. Administrationis 1. cap. Debitores 6. cap. Ad nostram 7. & cap. Quemadmodum 25. de Jurisjurand. in quibus constat promissa sola conventionis firmata posse quidem omitti, non vero Jurisjurando obsequata; & ratio est, quia non sufficit ut conjuges mutuo sibi suam remittant juratam promissionem ad licitum matrimonii usum ante lapsum præfixi temporis; non enim solum ad se invicem mutuo consensu sunt obstricti, sed etiam apud Deum invocato ejus nomine, ipsoque in testem sui pacti vocato; Unde necesse est, ut talis eis à Deo condonetur obligatio per ecclesiam dispensationem aliqua juxta interveniente causa; aliter tales conjuges neque exigere, neque reddere debitum conjugale possunt. Sunt etiam alie nonnullæ cause, propter quas conjuges possunt licite denegare debitum conjugale, quæ breviter gratia relinquuntur videndæ apud Sanchez lib. 9. de matrimonio dist. 24. & sequenti, & alios diffuse de istis agentes.

Unde veniunt hic adducendæ cause, propter quas non possunt conjuges debitum denegare, & possunt licite petere, & reddere. Primum igitur conjux non potest debitum denegare, eo quod alter sit nominatim denunciatus excommunicatus; Quoniam multos 103. caus. 1. r. q. 3. ubi Gregorius VII. pro nostra assertionis sic expresse concludit: Quoniam multos, peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quod tidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate devincti, misericordia, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, opportune temperamus; apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos servientes &c. Quod confirmat Innocentius III. in cap. Quod in dubiis 30. de revent. excommuni. Et in cap. Inter alia 31. eod. ubi declarat illos, qui homini nondum excommunicato famulari solebant, ex lata ejus excommunicatione ab eodem ministerio non arceri; ibi: Cum quædam persone in præmissis capitulo (Quoniam multos) illis, in quos lata fuerit excommunicationis sententia, ante prolationem ipsius, obsequio tenebantur familiariter adherere, neque postmodum ad contrarium teneantur (cum adhuc debitum daret) beneficio canonis id agentis, à preiore non sunt obnoxietate solutæ, sed ad familiare tenentur obsequium, ita per consequens ad excommunicationem tenentur, sine qua illud nequeunt exhibere? Ita Glossa in cit. cap. Quoniam multos, verb. Uxores, sic expresse ait: Sed nunquid vir excommunicatus potest petere debitum ab uxore? Si petat vir mulierem in judicio, & ipsa obicit excommunicationem, Judex tenetur ex suo officio restituere ei mulierem, cum in hoc casu possit et communicare; Unde credo quod tenetur debitum reddere.

Secundo, conjux non potest negare debitum ob solum metum, ne multiplicetur proles, & ob inopiam non possit alii; ita Angelus verb. Debitum §. 1. Silvester q. 8. Navarr. c. 16. n. 25. Layman loc. cit. n. 16. Sporer loc. cit. n. 516. & alii communiter negantes absolutè multiplicationem proli excusare à redditione debiti; & ratio est, quia ex una parte multiplicatio proli spectat ad precipuum finem matrimonii, estque magnum bonum, ac donum Dei, cujus gratia à conjugibus tolerandum est omne incommodum prima conjugi stipulatione conceptum; & altera autem parte melius est proli ut vivat inopam, quam ut opinio non vivat; nec ex apprehensa inopia, & deficientia alimentorum pro prole potest deduci excusatio tam strictæ obligationis debiti, cum Deus in se vere confidentes non deserat juxta illud Regis Prophete Psal. 36. num. 25. Junior fui, etenim tenevi, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem. Et Christus ipse Matthæi 6. n. 26. & seq. sic in Dei providentia confidere præcipiat, & diffidentes severe oburgat: Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis millibus? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescut, non laborant, neque metunt. Si autem frumen agri, quod hodie est, & vicias in cibum mittitur, Deus sic vestit, & quanto magis vos modice fidei?

Tertio, non potest conjux debitum denegare ex quo petatur diebus festis, vel diebus sacrae communionis, aut similibus; Est Communis cum D. Thoma in 4. dist. 32. quæst. unic. art. 5. in corpore, ubi expresse ait: Tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore, & quocumque hora; salva debita honestate, quæ in talibus exigatur; & iterum in supplement. quæst. 64. art. 7. in conclus. dicit: Ne propter lubricum carnis aliqua peccata detur occasio, tenentur conjuges etiam in diebus festis, & quocumque hora sibi mutuo debitum reddere; salva tamen honestate. Et Sylvius in 3. p. S. Thomæ quæst. 80. art. sic clare concludit: Conjux, quæ est communicatura, non propterea excusatur à redditione debiti, si alter in festis, & sicuti neque excusatur, ex eo quod illo die communicaverit. Et habetur in c. Vir 7. caus. 33. quæst. 4. ibi: Si quis

verò sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo creatorum liberorum gratia utitur, eodem ipso die si velit communicare, ipse profecto... de sumendo Corpore dominici, sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio. Nec valet obijcere quod Apostolus 1. ad Corinth. cap. 6. n. 5. præcipit conjugibus, ut abstineant ab usu matrimonii ad tempus, ut vacent orationi; Non valet, inquam, qui Ibi Apostolus vacent conjugibus, ut non fraudent ad invicem, & solum permittit abstinere ad tempus ab usu matrimonii ex communi consensu, ut vacetur orationi; & en præcisè ipsius verba: Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacet orationi; Et sic ipsum Apostolum intelligit S. Augustinus relatus in c. Apostolus 12. caus. 33. quæst. 4. ibi: Apostolus nec ad tempus ut vacent orationi, nisi ex consensu, voluit conjuges, nec carnali invicem fraudare debito. Nec etiam valet obijcere canonem in c. Si causa 4. caus. 33. quæst. 4. ubi de mente S. Ambrosii sic habetur: Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum, quia & dies processionis, & ipsa ratio conceptus, & partus juxta legem cessari temporibus his debere demonstrant.

Nec etiam obijcere canonem Quotiescumque 2. eadem caus. & quæst. ubi ex S. Augustino habetur: Quotiescumque aut dies natalis Domini, aut relique festivitates advenierint, sicut frequenter admonet, non solum ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam à proprii uxoris abstinentia. Nec canonem Christiano 5. ead. caus. & q. ubi ex eodem S. Augustino, uxoris usus diebus processionis, & jejuniis interdicitur. Nec Canonem Omnis homo 2. de consecrat. dist. 2. ubi ex concilio eliberitani sic habetur: Omnis homo ante sacram communionem à propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus. Nec canonem in c. Si sciatis 1. caus. 33. quæst. 4. ubi de mente S. Hieronymi sic habetur: Si panes propositionis non poterant ab eis, qui uxores suas tetigerant, comedi, quantum magis panis ille, qui de celo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulo ante hæretè complexibus, volutariis contage contingi? Non valet, inquam, quia tales, & consimiles canones intelligendi sunt secundum congruitatem, & non secundum necessitatem, ex consilio, & non ex præcepto, ut optime exponit S. Thomas 3. p. Summe quæst. 8. art. 7. ibi: Hoc secundum congruitatem, & non secundum necessitatem, ex consilio, & non ex præcepto est intelligendum.

Operæ pretium est referre, quæ scripsit Benedictus XIV. l. 5. de Synod. c. 1. n. 8. Olim in solemnioribus festivitatibus, ac jejuniis diebus, quibus peculiaris ritus erat orationi vacandum, vetitum fuisse conjugibus matrimonii usum, ex pluribus colligitur ecclesiæ sanctionibus, collectis à Gratiano can. 33. q. 4. & c. Nec fortasse, aliæque hujus generis multa ignota fuerunt nonnullis Theologis moralibus, qui antiquam disciplinam ex hodierna metientes (quod sæpe ab iisdem sibi notavit Card. Bona var. liturg. l. 1. c. n. 18. n. 1.) non dubitarunt affirmare, nunquam ab ecclesiâ fuisse usum conjugii certis diebus interdictum; cum potius masserere debuerint, tunc intra meri consilii limites continenteri, quod olim severa lege erat prohibitum; si- cuti scite ponderat Catalanus in Com. ad Pont. Rom. tom. 5. tit. de ordine ad Synodum §. 22. Quod attinet ad auctoritatem S. Thomæ, verba, quæ Auditor scribit, loco ab eo citato non occurrunt.

Quarto, non potest conjux debitum denegare sub prætextu, quod alter conjux affinitatem spirituales contraxerit baptizandæ proprium filium in casu extrema necessitatis: cum enim talis conjugis actio non solum sit licita, sed etiam necessaria, & ex præcepto charitatis importata, non debet ei imputari ad ullam penam, si- cut non ei imputatur ad ullam culpam ex regula Innocentii III. tradita in c. Discretionem 6. de eo, qui cognovit conjugem uxoris sue, ibi: Cum suo jure non debeat sine sua culpa privari. Et expresse habetur decisum à Joanne VIII. in c. Ad limina 7. caus. 30. quart. 1. ibi: Dicimus quælitandum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Nam hoc baptizandum di opus laicis fidelibus juxta canonicam auctoritatem,

nisi necesse fuit facere, libere conceditur: Unde si supradictus genitor filium suum corpore mortem assumpens, ne animam perpetua morte perentem dimitteret, sacri unda baptismatis lavavit, ut eum de potestate auctoris mortis, & tenearum eriperet, & in regnum Christi jam regnaturum sine dubitatione transmitteret, benefecisse laudatur, & idcirco sua uxori, si sibi legitime sociata, impune quædam vixit judicamus manere conjunctam, nec ob hoc... separari debere.

Quinto, nec potest conjux debitum denegare sub prætextu, quod alter conjux affinitatem contraxerit ratione incestus, vel adulterii non sponte, sed coactionis vi, vel ignorantia facti commissi. Et ratio est: quia talis conjux ex hujusmodi incestu, seu adulterio sine ulla sua culpa commissio non debet suo jure petendi debitum ullo modo privari; cit. c. Discretionem 6. de eo, qui cognovit conjugem uxoris sue, ibi: Cum suo jure non debeat sine sua culpa privari; & Reg. 23. Juris in 6. ibi: Sine culpa, nisi subit causa, non est aliquis puniendus; (Ad rem aliquid conducit reg. 21. & 22. tit. 34. p. 7.) Conjux autem, qui non sponte, sed coactionis vi, vel ignorantia facti incestum, vel adulterium commisit, nullam admisit culpam, cum pro se fuerit omnino materialis actus incestus, vel adulterii; ex quo, ut supponitur, in eum nullatenus consensit, neque adeo ipsi in peccatum imputari debeat ex mente S. Augustini relatus in c. De pudicitia 6. caus. 33. quart. 5. ibi: Nemo impudice utitur corpore, nisi spiritus prius concepta nequitia; & ut dicit Origenes lib. 2. ad c. 2. Epistolæ ad Romanos; Neque enim fieri potest, ut ei ante quis machetur in corde, machari possit in corpore. Et quod affinitas contracta ratione incestus, vel adulterii non sponte, sed coacte commissi, non privet jure petendi debitum conjugem innocentem, habetur expresse in c. Discretionem 6. de eo, qui cognovit conjugem uxoris sue, ibi: Sed nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum, & uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis participes non existit, cum suo jure non debeat sine sua culpa privari. Et quod etiam affinitas contracta ratione incestus, vel adulterii ignorantia facti commissi non privet jure suo petendi debitum conjugem sic ignorantem, & consequenter solum materialiter peccantem, habetur expresse in c. Si virgo 5. caus. 34. quæst. 1. & 2. ibi: Hinc etiam ignorantia excusat eum, qui nesciens dormivit cum sorore uxoris sue; & cap. In lectum 6. ead. caus. & quæst. ibi: In lectum mariti, absente uxore, soror viri uxoris, quam ille uxorem putans usum esse, dormivit cum ea: super hoc visum est, si nipse per securitatem veram hoc probaverit, quod inscius fecerit hoc scelus... legitimam suam conjugem habere permittitur.

Debitum conjugale licite petitur, & redditur, etiam si mulier sit prægnans, dummodo tamen absit periculum abortus; Est Communis. Sententia est SS. Patrum auctoritatè innixa; imprimisque S. Augustini, usum matrimonii culpa non vacare, nisi propagandæ proli, vel debiti reddendi causa exerceatur. Plura ex Doctore producere momenta, per facile esset. Unum, vel alterum lectorum oculis sistimus. Mellor est quidem, ait S. D. de bono Conjugali c. 6. ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, qui sit causa gignendæ sed quia illa continentia meriti amplioris est, reddere vero debitum, nullus est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem CULPA VENIALIS, & Tom. 6. operum, col. 236.

Et in Enchiridio c. 87. Putari possit, inquit, non esse peccatum in seconi conjugi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptas; ut fornicationis... mortiferum malum... incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset (Apostolus) hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. QUIS AUTEM ESSE PECCATUM NEGET, cum dari veniam facientibus; apostolica auctoritate fatatur? Ibidem col. 166. Legis & S. Hieronymi in cap. 5. epistolæ ad Ephesios l. 2. tom. 7. Operum editionis noviss. Veronen. Col. 166.

lum. 657. & S. Gregorius Magnus in regula pastoralis part. 3. c. 27. tom. 2. operum edit. Benedict. col. 80. Hinc S. Thomas in 4. dist. 31. quest. 2. art. 2. docet, duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa prolis procreanda, & debiti reddendi. ALIAS AUTEM SEMPER EST IBI PECCATUM, AD MINUS VENIALE. Qui igitur feri potest, ut idem usus innotuit evadat, uxore pregnante, ut hic Auctor absque ulla restrictione asserit? Sane si Sanctorum Patrum, sacrorumque canonum doctrinam consulamus, in contrariam sententiam declinare, oportet.

S. Clemens Alexand. l. 2. Pedagog. cap. 10. Ullam, inquit, induxit (Moyse) uxorem hebreorum coeuntum cum sua uxore pregnante. Sola enim voluptas, si quis ea etiam utatur in conjugio, est peccata leges, & injusta, & a ratione aliena. Raptus Moyse abduxit viros a pregnantibus, quousque peperit. Nefas est ergo operantem jam nativam adhuc molesta afficere, superfluo ad petulantem prorumpendo libidinem. Tom. 2. Operum edit. Oxonii, pag. 225.

S. Ambrosius lib. 1. in Lucam, n. 55. Ad cohibendam, inquit, petulantiam tuam manus quasdam tui Auditoris in utero hominem formantis adverte. Ille operatur, & tu sciri uteri secretum incertas libidines? Vel peccatum imitare, vel Deum verere. Tom. 1. operum edit. Benedict. col. 1281.

Videri etiam possunt SS. Augustinus, & Hieron. locis laudatis. Quapropter sacris cautum est canonibus, ut qui cum uxoribus pregnantibus conveniebant, penitentia subicerentur. Hoc constat ex Penitentiali Romano tit. 7. cap. 6. & 10. & ex Penitentiali Bedae cap. 2. & 10. Unde S. Thomas in 4. dist. 31. in Expositione textus ait: Ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem impregnantem. Non tamen quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus. Ex hucusque laudatis auctoritatibus perspicax Lector judicium ferre poterit; utrum canones ab Auctore laudati consilium, an praeceptum sonent, quos praeceptum indigite in promptu esset ostendere, si id necessitas expostularet. Unam addimus: scilicet ne incautus Lector omnes doctrinas, quae in hoc articulo leguntur, amplectatur, v. g. expositam sub n. 42. circa modum concubendi; sub n. 45. de debiti petitione cum dubio circa matrimonii validitatem, quam e diametro esse oppositam sententiae Innocentii III. relate in e. Inquisitioni, de sentent. excommunicationis, nemo sane mentis infestabitur. Nec obstat textus e. Origo 5. caus. 32. quest. 4. Non solum 15. ead. caus. 31. quest. 7. e. Si causa 4. caus. 33. quest. 4. ubi videtur prohiberi accessus ad uxorem gravidam. Respondetur enim hoc esse de consilio, & non de praecepto, nisi in casu probabilis periculi abortus. Sobrie, & juste, & pie vivendum esse in hoc seculo, omnibus praecipit Apostolus Tit. c. 2. Conjuges, vel qui conjugum peccata audire tenentur, ea verba pendunt, & quae sequuntur S. Bonaventurae Comperit. Theol. Verit. l. 6. cap. 38. Potest quis accedere ad uxorem suam quatuor de causis: scilicet causa prolis, causa reddendi debitum, causa vitandae incontinentiae, quarto potest fieri causa explendae libidinis, & hoc modo peccatum est veniale, vel mortale, secundum quod libido est venialis, vel mortalis.

(Nihil ab hac assertionem discrepat leg. 4. & 9. tit. 2. p. 4.) Licite etiam petitur eo tempore, quo mulier est lactans: Est communis. Nec obstat textus e. Ad ejus dist. 5. ubi dicitur: Ad ejus vero concubitus vir suus accedere non debet, quousque qui gignitur, ablaetur. Respondetur enim, etiam hoc esse de consilio, & non de praecepto, nisi in casu probabilis periculi mortis suae prolis, quando scilicet mulier percipiat, quod ratione usus conjugii lac suam notabiliter fiat noxium infanti, aut ad ejus nutritionem notabiliter deficiat. Debitum petere, & reddere eo tempore, quo mulier est puerpera, id est post recentem partum durante adhuc naturali purgatione mulieris, per se loquendo, non est quidem peccatum mortale, ut tenent plurimi Doctores, at nihilominus communiter peccatum veniale deesse non solet, & hoc ob nimiam interperantiam, quae in copula ista feditat juncta intervenire solet; Hericus de matrimon. quest. 6. num. 18. Sanchez lib. 9. de matrimon. disp. 21. num. 7. &

alii passim; & colligitur ex e. Ad ejus 4. dist. 5. ubi de mente S. Gregorii sic habetur: Haec itaque, quo filios suos ex prava consuetudine alit ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri; & ex responsione Nicolai I. ad consulta Bulgarorum c. 68. ibi: Quot diebus viro, postquam mulier filium genuerit, ab ea sit abstinendum, non adinventibus nostris, sed verbis beatae memoriae Gregorii Romani Pontificis, & Anglorum gentis Apostoli declaratur, qui Augustino Episcopo, quem in Saxoniam ipse direxerat, scribens inter cetera dixit: Ad ejus vero (id est mulieris) concubitus vir suus accedere non debet &c.

Debitum petere & reddere eo tempore, quo mulier est menstruata, id est menstru fluxui status temporibus subiacet, in Lege veteri c. 20. Leviticus poena capitali prohibetur, ibi: Qui coierit fluxu menstruo, interficiantur ambo de medio populi sui. Et licet hoc praecceptum tamquam caeremoniale quoad poenam cessaverit cum ipsa lege, tamen quia non solum erat indictum ad evitandam immunditiam legalem, sed etiam ne ex tali coitu proles nasceretur imperfecta, & quoad hunc respectum erat praecceptum morale, etiam nunc est servandum, ut expresse docet S. Thomas in 4. dist. 41. quest. unic. art. 2. quest. 1. in corpore. ibi: Accedere ad menstruatam in lege prohibuitur erat duplici ratione... tum propter nocentiam, quod in prole ex hujusmodi concubitione frequenter sequitur, & quod primum praecceptum erat caeremoniale, sed quantum ad secundum erat morale: Et ideo hoc praecceptum obligat etiam in nova lege propter secundam rationem, etsi non propter primam. Et hujus sententiae fuerunt etiam S. Augustinus lib. 3. de peccat. merit. & remis. cap. 12. n. 22. S. Hieronymus lib. 6. in Ezechiel. c. 18. & S. Gregorius relat in cit. c. Ad ejus 4. dist. 5. & alii. Sed quia tales SS. Patres non explicant sub quali peccato obligat esse tale praecceptum, & Sanctus Thomas loc. cit. subjungit, quod talis fluxus non durat nisi ad modicum tempus: unde prohibuitur est ad talem accedere & similiter prohibuitur est mulieri in tali fluxu debitum petere, dicendum est, quod debitum petere pro tali tempore sit ad minus peccatum grave veniale, ut vult commentor DD. eo vel maxime, quod modum magni nominis DD. sustinent, esse peccatum mortale.

Debitum conjugale licite petitur, & redditur etiam non servato debito concubendi modo, aut situ, dummodo fiat propter aliquam justam, & rationabilem causam, v. g. vel propter periculum suffocationis foetus, vel aegritudinem, vel aliam indispositionem corporis, petita nimiae pinguedinis & hujusmodi; & servetur vas naturale absque periculo extramissionis seminis, seu fraudationis generationis: Est communis. Non est tamen licitum saltem sub veniali petere, & reddere debitum non servato debito incumbendi modo, aut situ sine ulla rationabili causa, & solum majoris voluptatis gratia, ut colligitur ex cap. Nervi 2. dist. 13. c. Deinde 3. dist. 26. c. Origo 5. c. In eo 12. c. Liberoium 14. caus. 32. q. 4. & c. Vir 7. caus. 33. quest. 4. Unde merito fuit ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. damnata inter alias sequens propositio bona in ordine; ibi: Opus conjugii ob solum voluptatem exercitum omni penitus carere culpa, ac defectu veniali: Ita Rosignolus contradi. 13. de matrimonio 7. praenot. 3. sec. 3. n. 4. cum communibus aliorum, saltem quoad petere; quamvis sit contra varios quoad reddere, volentes quod quando conjug petens debitum petat solum venialiter, vel ob circumstantiam se tenentem ex parte solius petentis, vel ob circumstantiam se tenentem ex parte ipsius actus, alter reddens nullo modo peccet, nec eximatur ab obtemperare reddendi; ut docet Sanchez de matrimon. lib. 9. disp. 6. n. 6. cum variis aliis. (Vid. sup. leg. 9.)

Conjuges, qui mala fide, seu dubit de valore matrimonii contraxerunt, non possunt stante illo dubio nec petere, nec reddere debitum, quia non est possessio pro matrimonio; sed pro sexto decalogi praeccepto copulam inter eos prohibente, nec alterutro favore possessio juris pro petendo debito, cum possessio juris inchoari non possit cum mala fide; Ita communis. Si vero unus tantum conjugum mala fide, seu dubius de valore

matrimonii contraxit, non potest ille stante tali dubio petere debitum, tenetur tamen illud reddere alteri, qui bona fide contraxit, quia hic, qui bona fide contraxit, stante dubio non est privandus suo jure, cum sit in possessione juris conjugii, ac stante dubio melior sit conditio possidentis, ut habetur expresse e. Dominus 2. de secundis nuptiis. Si matrimonio bona fide contracto superveniat dubium de valore, poterit talis dubitans post debitam diligentiam, & inquisitionem factam, ex qua veritas nondum comperita est, non solum reddere, sed etiam petere debitum; Nam dubium superveniens bonae fidei possessori obesse non debet; Ita ex communiori Sanchez lib. 2. disp. 51. q. 4. n. 45. & lib. 1. moral. cap. 10. n. 9. Barbosa in lib. 5. decretal. cap. Inquisitioni n. 5. de sentent. excommunic. Pirhing. lib. 5. decretal. tit. 39. n. 108. Layman theol. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 24. Henrix disp. 7. de matrimon. q. 6. n. 32. Reiffenstuel theol. moral. tract. 14. disp. 13. num. 85. Diana part. 4. tract. 14. resol. 15. Terill. de conscient. q. 23. n. 66. Dicastil. de restitut. d. 6. d. n. 221. Reginald. in praxi fori penitent. lib. 31. n. 190. Egid. de sacrament. & censur. disput. 34. dub. 10. n. 105. Socin. in 4. de justit. q. 5. art. ultim. Valentia tom. 4. disp. 10. q. 6. punct. 2. Lugo de justit. disp. 17. n. 88. Cardenas in 2. Crisi d. 19. n. 107. La Croix lib. 6. part. 3. de matrimon. n. 302. & apud ipsum ibidem D. Sotus, Vera Crux, Vic. Lopez, Suarez, Conich, Bonacina, Lessius, Lorca, Bress. Bardi, & alii contra multos alios ab ipso citatos.

Et veritas nostrae assertionis colligitur ex S. Augustini verbis relat in cap. Si virgo 5. caus. 34. q. 1. & 2. ubi sic expresse habetur: Si virgo nupserit nesciens viro alieno, hoc si semper nesciat, nunquam hoc adulteraria erit; si autem sciat, jam ex hoc adultera esse incipit, ex quo cum alieno sciens cubaverit, sicut in jure praedictorum tandem quisque bona fidei possessor reddissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum; cum vero sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc mala fidei possessor perhibetur. Et ex cap. Landabilem 2. ut sit pendente, ubi sic praecise a Clemente III. fuit respondit: Respondemus, quod conjugum alteruter accusatus (de matrimonii defectu) ante probatam accusationem jure, quod habet in altero, privari non possit. Et ex cap. Dominus 2. de secundis nuptiis, ubi Lucius III. supponit, si secundo matrimonio bona fide contracto superveniat dubium de morte prioris conjugis, posse eum, qui bona fide contraxit, petere debitum, & alterum, etiamsi mala fide contraxerit, posse reddere, ibi: Super matrimoniis, quae quidam ex vobis nondum habita obvenit conjugis certitudine contraxerunt, id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjugis: Si vero aliquis, vel aliqua id habentis non servaverit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum; ei, quae sibi nupserit, debitum non denegat postulanti, quod si se tamen novaverit nullatenus exigendum, quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictiis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur. Et ratio nostrae assertionis est, quia talis sic dubitans praemissa debita diligentia, & inquisitione habet ignorantiam invincibilem de invaliditate matrimonii, ergo manet possessio pro validitate matrimonii bona fide contracti juxta cit. cap. Si Virgo 5. caus. 34. q. 1. & 2. ibi: Bona fidei possessor reddissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum; adeoque manet in jure petendi debitum, cum melior sit conditio possidentis, & dubium superveniens bonae fidei possessioni obesse non debeat. Et hoc ipsum a fortiori est dicendum, si dubium superveniens oritur solum ex levi, ac temeraria credulitate, nam potest tale dubium ad consilium proprii pastoris, seu parochi deponi, ac debitum conjugale non solum licite reddi, sed etiam peti, textu expresso in e. Inquisitioni 44. de sent. excom. ibi: Et quidem ad sui pastoris consilium (conscientia levis; & temeraria credulitate explorata) licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale.

Nec valet obijcere contra nostram principalem assertionem id, quod Innocentius III. prosequitur immediate dicere in d. cap. Inquisitioni, ibi: Verum cum

conscientia pulsata animam ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra iudicium committat offensam. Non valet, inquam, quia ut optime responderet Cardin. de Lugo tom. 1. disp. 17. numer. 88. vel Pontifex in d. cap. Inquisitioni loquatur solum de conjugio, qui nondum adhibuit debitam, & sufficientem diligentiam pro cognoscenda veritate, ut voluit multi, quos sequitur Sanchez lib. 2. de matrimon. disp. 41. quest. 4. num. 53. vel etiam dato, quod universaliter loquatur, dicere possumus ex illo magis confirmari nostram conclusionem; nam alter conjugum, qui erat possessor bonae fidei, dicitur posse petere, & reddere; alter autem, dum habet dubium, non permittitur petere, quia nimirum in casu illius textus conjugum non habebat merè negativum, sed potius credulitatem, & opinionem positivam, de impedimento matrimonii, ut constat ex verbis illius capitis; stante autem illa opinione de impedimento, & non stante opinione etiam probabili de negatione impedimenti, non poterat conjugum petere, quia nullum habebat iudicium saltem probabile de valore illius matrimonii; Unde apparet, quod Innocentius III. in d. cap. Inquisitioni, ideo sic respondit, quia ille, de quo erat casus, ab initio mala fide contraxerat matrimonium, quia videlicet positive dubitabat de ejus valore, ut proinde sit casus similis illi, qui refertur in cit. cap. Dominus 2. de secundis nuptiis, ubi Lucius III. ut apparet ex suis verbis adductis supra sub n. 45. responderet, dubitantes de valore matrimonii, quod contraxerant, nondum habita certitudine conjugis prioris praemortuae, debitum interim a conjugis sua exigere non posse. Hinc non facit obiectio talis textus pro nostro casu, qui est de dubio superveniente matrimonio juxta bona fide contracto, adeoque licet sic dubitans petendo debitum post adhibitam debitam diligentiam se exponit periculo fornicationis materialis, non se exponit tamen periculo fornicationis formalis, cum ignorantia invincibilis in bonae fidei possessore a peccato formali excuset. Vide notam appositam n. 35. in fine. Hic textum Innocentii manifestissimum conitorquet Auctor.

(Hic tantum praevenerit, conjuges, nisi certo necis consilii cujuslibet fuerint, contrahere matrimonium non valere; leg. 11. tit. 1. lib. 3. For. Reg. leg. 8. tit. 9. p. 4. 7. tit. 15. lib. 8. Ord. Reg.; ita ut si indagatio mortis omissa, contraxerint, & sub colore matrimonii carnalis datur commixtio, uterque, ut quidquid cum eis facere velit, marito comparenti tradebatur; adulterium concedere non est tenendum, si appareat, esse per vim commissum; si creditur, maritum aut uxorem esse cum aliquo coeuntem, vel quando de alienigenae morte antecedit notitia; leg. 7. & 8. tit. 9. p. 4. 5. tit. 17. p. 7. Vid. leg. 3. tit. 20. lib. 8. Recop. Castell. verb. Adulterium quoad poenas in add. hisp. nec officii repere quae verb. Accusari qui possint, referuntur, & adnotantur. Conducti lex 1. tit. 13. p. 4. in qua, dum ad contrahendum datur impedimentum, si unus ex contrahentibus idem ignoraverit, filium ex matrimonio sic contracto natum, tam respectu scientis quam impedimentum ignorantis esse legitimum assertur.)

Si conjugum pro certo cognoscat invaliditatem matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie ecclesiae probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum, non obstante quod per sententiam iudicis ecclesiae (quae de occultis non judicat) vel etiam per excommunicationem ad id compellatur, aut ab altero conjugum absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitae periculo discedere nequeat; Est communis, & ratio est, quia in nullo casu potest quis scienter fornicari, seu alteri carnaliter commisceri contra legitimum matrimonium; quo enim est intrinsece malum; Unde talis potius in foro externo debet humiliter sententiam excommunicationis sustinere, ut expresse statuitur in cap. Literas 13. de restitut. sp. lib. 1. Cum muliere, quae consanguinitatis habet notitiam, praesertim in gradi-

bus, ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

ma-

bus, quos Lex divina (Leuitici cap. 18.) prohibuit, non possit hujusmodi viro sine peccato mortali carnaliter commiseri: quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, & quidquid fit contra conscientiam edificat ad gehennam: frustra in tali casu adju dicaretur restituito spoliat, cum illa contra Deum non debeat in hoc iudici obedire, sed potius excom municationem humiliter sustinere. Idem declarat ipsemet Innocentius tertius in cap. Inquisitioni 44. de sentent. excommuni. ibi: "Credimus distinguendum, utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine peccato mortali non valet carnaliter commercium exercere, quamvis illud apud ecclesiam probare non possit; an non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potius excommunicacionis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale." Talis enim conjux ex simili excommunicatione contra se lata non ligatur apud Deum, cum irrita, & invalida sit excommunicatio, quae peccato mortali non nititur, ut ait Concilium Meldense in cap. Nemo 41. caus. 11. quest. 3. & de mente Sanctus Hieronymi relati in cap. Quomodo 44. ead. caus. & quest. & de mente S. Augustini in c. Copisti 48. in cap. Quid obest 50. & in cap. Etsi 13. eadem caus. & quest. Et expressè Gloss. in cap. Si quis 10. caus. 1. quest. 1. ibi: "Quid ergo si Episcopus excommunicatus patienter ferat, nec curet, cum non ligatur apud Deum. Quod autem nequeat conjux ab alio discere absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitæ periculo, nihil refert, nam ut expresse dicitur in regul. 3. Juris: Ut illius scandalum naves permittitur, quam veritas relinquitur. Et occisus ex hac causa moreretur pro servanda virtute supernaturali castitatis, & sic evaderet martyr, nam non solum qui propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, martyrii palmam consequuntur. Generaliter enim loquendo omnia virtutum opera, quatenus referuntur in Deum, sunt quaedam fidei protestationes, quia dum quis potius vult mori, quam Deum peccato quopiam offendere, ipso facto protestatur, Deum esse summum bonum, ac omnibus aliis bonis creatis præferendum; quod est articulus fidei christiane; Unde Sanctus Augustinus term. 250. de tempore sic expresse dicit: Christianis quotidiana mortari peccata deesse non possunt; Sicut enim castitas, & veritas, & justitia, Christum est, sic ille, qui est insidiatur, persecutor est; Qui & in aliis defendere, & in se custodire voluerit martyr erit. (Concordat lex 10. 20. & 21. tit. 9. p. 1.)

33 Conjux, qui durante matrimonio contraxit affinitatem cum sua consorte, cognoscendo videlicet carnaliter ejus consanguineam in primo, vel secundo gradu, non potest petere debitum: cap. Qui dormierit 30. caus. 27. quest. 2. cap. Si quis 1. de eo, qui cognovit &c. Licite tamen potest reddere, immo tenetur, textu expresso in c. Discretionem 6. de eo, qui cognovit &c. "Nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum, & uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debeat sine sua culpa privari"; & cap. Tuo fraternitatis 10. eod. tit. ibi: "Vir ejus poterit, & debet cum Dei timore debitum ei solvere conjugale, cum affinitas post matrimonium inique contracta illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non existit." Notanter autem fuit dictum consanguineum in primo, & secundo gradu, quia si esset consanguinea solum in tertio, aut quarto gradu, non incurreret penam non petendi debitum, prout teste Farinacio in declarati. super sess. 24. Concil. Trident. cap. 4. de reform. matrim. declaravit Gregorius XIII. his verbis: "Sanctissimus Dominus noster Gregorius XIII. ex sententia Congreg. dixit, propter hoc decretum sublatum censeri impedimentum quoque superveniens affinitatis post contractum matrimonium, quia si impedimentum dirimens sublatum est, quod majus est, ergo & illud, quod impedit, ne sit, per quem contracta est affinitas, sine peccato possit exigere debitum, quod minus est."

36 Conjux voto simplici castitatis adstrictus licite non

potest petere debitum; tenetur tamen reddere; c. Quidam 3. cap. Caritas 11. de conversioni. Conjugat. cap. Sunt qui 19. caus. 27. q. 2. cap. Si dicat 1. cap. Notificasti 2. cap. Una sola 6. & cap. Noluit 16. caus. 33. quest. 5. Et ratio est, quia votum castitatis includit obligationem præcepti negativi, cum votens se obstringat ad se abstinendum ab omni actu venereo, adeoque votum castitatis ab uno conjugum factum obligat semper, & pro semper quoad ea, quæ cum matrimonio sunt compatibilia; compatibile autem est non petere debitum, licet non reddere, non sit compatibile. Nec valet dicere, quod hoc esset nimis difficile conjugi votenti, & nimis onerosum alteri conjugi non votenti, maxime si conjux non votens sit mulier, quæ verecundabitur petere. Non valet, inquam, quia si conjugi votenti sit difficile, sibi imputet, & petat dispensacionem, & onerosum alterius conjugis non votenti tollitur, ex quo conjux votens potest reddere, non solum quando alter petit expresse, sed etiam quando ex signis, quæ inter conjuges sunt nota, advertit alterum conjugem optare, ut patet ex dictis supra num. 6. 7. & 8.

(Circa antecedenter notata recognoscatur tit. 8. p. 1. ubi de promissionibus, seu votis Deo factis: qui sit votum, & quæ sit potestas, quando tollit, & commutari, & à quibus tractatur; Vide etiam tit. 6. & 7. p. 4. ubi invenies consanguinitatis & affinitatis definitiones, aut descriptiones; usque ad quod gradus impedimentum præsentat ad contrahendum matrimonium; sicut de cognatione spirituali; suis in locis per extensum pertractabitur; Vide præced. verb. Affinitas.)

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt Dispensationem super impedimento petendi debitum conjugale.

SUMMARY.

- 1 DISPENSATIO ad hoc, ut sit valida debet dari ex legitima, & justa causa.
- 2 POSSUNT Episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjuge, qui ante matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis, neque ligatus nupsit.
- 3 POSSUNT etiam Episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjuge, qui post contractum matrimonium, et tunc illud fuerit consummatum, sive non, emisit votum perpetuæ castitatis sive cum, vel sine consensu alterius conjugis, sive ab illo solo, sive etiam ab altero conjuge seorsim fuerit tale votum emissum, dummodo non fuerit emissum ab utroque conjuge cum reciproca conventionione, & expressa renuntiatione reciproci juris, usque ad n. 4.
- 5 ADDUCITUR instantia, & solvitur, usque ad n. 6.
- 7 EXCIPIUNTUR tamen casus urgentis necessitatis, in quibus Episcopi dispensare possunt etiam in votis Summo Pontifici reservatis, & consequenter super ipsorum impedimento petendi debitum.
- 8 Tales autem casus urgentis necessitatis sunt illi, qui ratione petitis, belli, seu alterius hujusmodi impedimenti, vel nullomodo, vel nisi cum maxima difficultate possunt deferri ad Summum Pontificem, vel sine gravi periculo, scandalo, aut alio modo possunt differri, aut suspendi usque ab obtenta dispensatione ad Summum Pontificem.
- 9 INsuper possunt Episcopi dispensare ad petendum debitum cum impedimentis ratione contractæ affinitatis, & cognationis spiritualis cum sua conjuge.
- 10 Eadem potestas dispensandi super impedimento petendi debitum conjugale competit etiam Capitulis, eorumque Vicariis Capitularibus Sede Episcopali vacante.
- 11 Item super impedimentum petendi debitum dispensare potest Vicarius Generalis Episcopi, maxime, si habeat specialem facultatem ab ipso Episcopo.
- 12 Regulares Mendicantes, alique omnes cum ipsis commu-

nicantes, possunt dispensare ad petendum debitum, tam super impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuæ ante, vel post matrimonium contractum inito, quam super impedimento proveniente ex affinitate contracta ratione copulæ habitæ cum consanguinea, vel consanguinea etiam in primo gradu alterius conjugis, ad n. 14.

15 ADDUCITUR instantia, & solvitur, ad n. 18.

19 CONFESSARIJ Regulares possunt valide, & licite dispensare super impedimento petendi debitum ratione voti ante, vel post matrimonium emissi, licet non sint ad hoc specialiter deputati à suis superioribus majoribus.

20 SUPER impedimento tamen petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum matrimonium cum aliqua, vel aliquo sui conjugis consanguinea, vel consanguinea in primo, vel secundo gradu, prohibitus est non posse dispensare, nisi habeant ad hoc specialem commissionem, & licentiam à suis superioribus majoribus, puta Generalibus, Provincialibus, & hujusmodi.

21 NON desunt tamen Doctores magni nominis, qui expresse tenent posse Confessarios Regulares etiam sine speciali commissione Generalis, vel Provincialis dispensare super impedimento petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum matrimonium habitæ cum aliquo, vel aliqua sui conjugis consanguinea, vel consanguinea in primo, vel secundo gradu, usque ad n. 22.

PARMISSIO, quod dispensatio, ad hoc ut sit valida, debet dari ex legitima & iuxta causa, aliis per DD. communiter esset irrita, & invalida, & facta ex abusu potestatis excessit ex Apostolo 2 ad Corinth. cap. 13. n. 10. In edificationem, & non in destructionem; Possunt Episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjuge, qui ante matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis, eoque ligatus nupsit. S. Antonius 3. part. tit. 1. cap. 22. §. 2. Joann. Andreas in cap. Rursum, Qui Clerici, vel votens num. 6. & ibi Ancharan. num. 2. Præpositus num. 6. Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 5. num. 3. Ugo linus de matrimonio cap. 20. n. 10. Brunellus de sponsalibus concl. 31. n. 4. Valentia 4. part. disp. 10. q. 5. Sotus in 4. dist. 37. q. unic. art. 1. Reiffensuel lib. 4. decret. in appendice de dispensatione super impedimentis n. 564. Rosignolus de matrimonio 3. prenot. 11. 27. Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 12. q. 4. cum pluribus aliis contra Silvestrum verb. dispensatio q. 9. n. 15. Gutierrez canon. qq. lib. 1. cap. 23. n. 17. & varios alios. Et ratio est, quia licet Episcopi hoc non possint de jure ordinario, prout notat Azorius tom. 1. lib. 11. cap. 19. q. 8. Toletus lib. 4. cap. 18. n. 1. diff. 2. Graffius in decis. part. 1. lib. 1. cap. 13. n. 80. Diana part. 1. trad. 11. resol. 66. & alii, possunt tamen vigore consuetudinis, & communis praxis, secundum quam omnes Episcopi scientibus Pontificibus, & non reclamantibus, quoad hoc jus petendi dispensant, consuetudo autem præscripta dat jurisdictionem per textum clarum in cap. Cum contingat 13. de foro competentis, & quidem juxta rectam rationem inducta est quoad originem, & continuationem hæc consuetudo, & praxis, quandoquidem possunt conjuges periculo incontinentiæ subesse &c.

3 POSSUNT etiam Episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjuge, qui post contractum matrimonium, sive illud fuerit consummatum, sive non, emisit votum perpetuæ castitatis, sive cum, vel sine consensu alterius conjugis, sive ab illo solo, sive etiam ab altero conjuge seorsim, dummodo non fuerit emissum ab utroque conjuge cum reciproca conventionione, & expressa renuntiatione reciproci juris; Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 11. à n. 4. ad octavum, Aragonius 2. 2. q. 88. art. 8. Joannes Angelus Bossius de irriplic. Jubil. privileg. sec. 2. cas. 29. n. 13. Basiliius Pontius lib. 8. de matrim. cap. 9. n. 2. Bartholomæus à S. Fausto lib. 3. Theaur. Religios. q. 78. Rosignol. loc. cit. n. 23. Reiffensuel loc. cit. n. 559. Sporer tom. 1. trad. 3. in 2. præcep. Decalog. cap. 3. n. 76. & alii plurimi. Et ratio est, quia votum post contractum matrimonium emissum ab uno conjuge, sive cum, vel sine con-

sensu alterius conjugis, sive ab illo solo, sive etiam ab altero conjuge seorsim, quoties non est emissum cum reciproca conventionione, & expressa renuntiatione reciproci juris, licet videatur elici absolute, & perfecte, non potest tamen verè dici votum absolutum perfectæ, integræ castitatis, quia unus conjugum sine expressa renuntiatione sui juris facta ab altero conjuge non potuit votere absolutam, & integram castitatem in præjudicium alterius conjugis, cui reddere debitum ex justitia obligatur; votit ergo solum castitatem partialem, & secundum quid, scilicet non petere debitum, quale votum secundum omnes non est reservatum Summo Pontifici, adeoque dispensabile ab Episcopis. Unde si Episcopi dispensando tollere possunt, & actu tollunt votum, quod est unica causa, & radix impedimenti, utique etiam tollere possunt & dispensando tollunt ipsum impedimentum, eo quod cessante causa cesset effectus cap. Cum cessante 60. de appellat.

Notanter autem fuit dictum, dummodo non fuerit emissum ab utroque conjuge cum reciproca conventionione, & expressa renuntiatione reciproci juris, quia vi hujus mutui contractus, & reciproce conventionis à petendo, & reddendo, abstinendi licite, & valide, absolute, & integrè votent; & sic cum in tali casu utraque pars vi conventionis sit liberata etiam ab obligatione reddendi debitum, consequenter votum liberè observari possit, & debeat, ac votum sit absolutum, & perfectum ex parte utriusque, & ideo reservatum Summo Pontifici, arg. Extravag. Et si Dominus 5. de penitentis & remissis dispensare in illo Episcopi non possunt; Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 37. n. 10. Sporer loc. cit. n. 76. Ancharan in cap. Dudum, de convers. conjugator. num. 12. Reiffensuel loc. cit. n. 561. cum Abbate, Innocent. Joanni quam Jurisperitorum, arg. cap. Quod Deo caus. 3. q. 1. ubi de mente S. Augustini sic expresse habetur: "Quod Deo pari consensu voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis; A quo proposito si lapsus est ille, tu saltem instantissime persevera." Vid. art. anteced. sub n. 24. Nec valet objicere, quod sicut ex dictis n. 2. possunt Episcopi dispensare à petendo debito cum impeditis ratione voti perpetuæ, & perfectæ castitatis ante matrimonium emissi, ita etiam possunt cum impeditis ratione voti perpetuæ, & perfectæ, absoluteque castitatis post matrimonium emissi. Non valet, inquam, quia absolute negatur paritas; quia cum illis, qui obstricti voto perpetuæ, & perfectæ castitatis ante matrimonium emisit, dispensant Episcopi ratione præscriptæ consuetudinis justè, & rationally introductæ, ad evitandum incontinentiæ periculum in conjuge, qui nunquam posset petere debitum, & tamen semper teneretur reddere, quod periculum minime intervenit in illis, qui post contractum matrimonium cum reciproca conventionione, & expressa renuntiatione reciproci juris voverunt perpetuam & perfectam castitatem, in ipsis enim non adest periculum, cum nulla pars debitum petere, & reddere licite possit. Unde sicut pro istis nulla introducendi consuetudinem dispensandi habetur justa ratio, de nulla etiam dispensandi scitur consuetudine Episcoporum; & consequenter nulla habetur potestas dispensandi; Reiffensuel loc. cit. n. 563. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 11. num. 10. & alii.

Excipiuntur tamen casus urgentis necessitatis, in quibus Episcopi dispensare possunt etiam in votis Summo Pontifici reservatis, & consequenter super ipsorum impedimento petendi debitum; Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 32. Rodriguez tom. 1. qq. Reg. q. 63. art. 6. Navarrus in Manual. cap. 12. num. 76. Silvester verb. votum 4. q. 4. Layman lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 16. Sporer loc. cit. n. 71. Reiffensuel lib. 3. decretal. tit. 24. num. 47. & alii passim. Et ratio desumitur ex Summi Pontificis, nolle eum sibi vota reservare in quocumque casu, sed potius contentum esse, ut urgente gravi necessitate cum impedimento ipsum adendum, potestas dispensandi devolvatur ad Episcopum proprium, ne aliàs animæ laqueis irretiat in tam magno versentur periculo. Tales autem casus urgentis, & gravis necessitatis, in quibus dispensare

mer. 577. cum sequentibus; adducens privilegium Bullatum concessum PP. Augustinianis à Leone X. quod cum his, qui in primo affinitatis gradu scierint, aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit, neque in iudicium productum, dispensare valeant, ut de novo contrahant, & in eodem contracto matrimonio remaneant, prole etiam legitima. Ita tenor privilegii, prout refertur ex Bulla dict. Leonis X. à Richardo Rossensi Episcopo in Libello de causa matrimonii Regis Angliæ, à quo Rege in odium fidei Catholice fuit occisus, & à Cassaing. de privilegiis Regul. tract. 5. cap. 5. propos. 3. à Vera Crux 2. part. speculi aurei art. 27. vers. Et hoc confirmavit expresse, & ab aliis. Cum enim, dicit Reiffens-tuel loc. cit. num. 579. vi dicti privilegii ab ipso allegati loc. cit. num. 543. possint Confessarii Regulares Mendicantes legitime approbati, & expositi absque ulla speciali deputazione, vel licentia Superioris dispensare in foro conscientie cum conjugatis super impedimento affinitatis dirimente, ita ut matrimonium nulliter contractum revalidare, in eoque permanere, debitumque petere, ac reddere valeant, multo magis poterunt super eodem affinitatis impedimento solam penitentionem debiti impediencie dispensare juxta regulam 53. juris in 6. ibi: *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus*; etiam in materia privilegiorum, si majus, & minus sunt ejusdem ordinis, & minus in majori includatur, uti in præsentibus, quia potestas dispensandi super impedimento dirimente implicitè etiam includit potestatem dispensandi super impedimento petendi debitum, utpote quod liberè petere possunt conjuges incestuosi statim ac sunt dispensati super impedimento affinitatis dirimente, cum quo contraxerunt. Hinc dicto privilegio Confessarii absque ulla speciali licentia in foro conscientie securè uti possunt; præsertim cum in dispensatione ad petendum debitum non agatur de valore sacramenti, sed tantum de honestate actus. Hactenus ad litteram Reiffens-tuel.

DECANATUS sacri Collegii. Vide verb. Cardinales art. 2. à num. 19. ad 20.

DECIMÆ.
ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt decimarum esse, divisionem & obligationem.

SUMMARYUM.

1. Decimæ quid sint.
2. Decimæ ortum habent ex veteri testamento.
3. Adducuntur congruentia decimarum, usque ad num. 5.
6. Quare decima pars potius, quam vigesima, vel alia quota electa fuerit à Domino.
7. Decima dividitur in prædiales, seu reales, & in personales. Et quæ sint utraque, ad n. 8.
9. Omittitur hic tertium genus decimarum, quas varii admittunt, & vocant decimas mixtas.
10. Decimæ aliæ sunt profane, & aliæ Ecclesiasticæ, & quæ sint utraque, ad n. 12.
13. Decimæ duplici modo considerari possunt. Primo modo materialiter, & secundum substantiam, quatenus sunt stipendium necessarium ad honestam sustentationem ministrorum ecclesie; secundo modo formaliter, & secundum certam, ac determinatam partem fructuum, scilicet decimam, non octavam, vel duodecimam.
14. Decimæ primo modo consideratae sunt debite ministris ecclesie jure naturali, divino, & humano, ad n. 17.
18. Decimæ primo modo consideratae prout præcise continent necessariam sustentationem ministrorum ecclesie, sunt eis solvenda, etiam si aliunde habeant, unde vivant.
19. Secus autem est dicendum, si ministri ecclesie sustentationem necessariam habeant ex aliis redditibus ecclesiasticis.
20. Decimæ secundo modo consideratae, id est formaliter, & secundum certam, ac determinatam partem, seu partem fructuum, scilicet decimam, non octavam, vel duodecimam, licet in veteri testamento fuerint debite

ex jure divino positivo, tamen tempore novi testamenti debentur ministris ecclesie solum ex jure positivo canonico, seu ecclesiastico, ad n. 5.

26. Adducuntur pro instantia novi canonis, & solvuntur, ad n. 28.
29. Decimas defraudantes, vel non solvendo peccat dupliciter, scilicet, & contra virtutem religionis, & contra virtutem justitiæ, ad n. 30.
31. Immo ex Tridentino defraudantes, & non solventes, aut impediendes solvere, possunt & debent excommunicari, ad n. 32.
33. Add. ex aliena manu, ad n. 51.

DECIMÆ sunt decima pars omnium fructuum, & proven-tuum juste acquiritorum, Deo in recognitionem universa-lis, supramque domini debita, atque ecclesie ministris solvenda. Est in re communis; & deducitur ex cap. Non est c. 22. Transmissa 23. & cap. Tua nobis 26. de deci-mis, cum concordantibus; & Conc. Trident. sess. 25. de re-form. c. 12. Decimæ ortum habent ex veteri testamento; 2 Genesis 14. & 28. Exodi 22. Levit. 27. num. 28. Decima-rum congruentia est: Primo, quia sic recognoscitur Deus tanquam Donator, & supremus Dominus omnium bonorum, juxta c. Tua nobis 26. de decimis, ibi: *Deci-ma quæ Deus in signum universalis domini tibi reddi præcepit, suas esse decimas, & primitias asseverans, & cap. Cum non 33. eod. tit. ibi: Cum autem in signum uni-versalis domini quodam titulo speciali sibi Dominus deci-mas reservaverit. Secundo, quia ministris Dei debetur sustentatio, juxta illud Matthæi 10. ibi: *Dignus est enim operarius cibo suo, & Luca 10. ibi: Dignus est enim operarius mercede sua, & 1. ad Corinth. 9. ibi: Quis militat suis stipendiis unquam? Si nos vocis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus...* Nescitis, quoniam, qui in sacro operantur, quæ de sa-crario sunt edunt, & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere; Et c. Cum secundum 16. de præbend. ibi: *Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari, & qui ad curam eli-gitur, repelli non debeat à mercede, patet à simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur. Tertio, quia de decimis, post sufficientem ministrorum Dei sustentationem, debent pauperes sustentari, juxta illud c. Tua nobis 26. de Decimis, ibi: *Nec decimas, quæ tributa sunt egentium animarum, præsumunt detinere, & c. Decimæ 66. caus. 16. quest. 1. ibi: Decimæ tributa sunt egentium animarum, ubi etiam in casu, quo ecclesie ministris suam necessariam sustentationem jam habentibus, de decimas non solvente sic ait S. Augustinus ibi relatus: *Quantis pauperes in locis, ubi ipse habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni Judicis apparebit, quia rem à Deo pauperibus delegatam suis viribus reservavit.* (Non discrepant à doctrina in antecessoribus num. inserta leg. 1. tit. 5. lib. 1. Fori Reg. in proemio, leg. 1. & 2. tit. 20. p. 1. Nec erit alienum retinere determinatum in leg. 1. & 2. tit. 4. lib. 1. Ord. Reg. L. 1. & tit. 5. lib. 1. Rec. Cast.) Decima autem pars potius quam vigesima, vel alia quota electa fuit à Domino, quia decenarius numerus, erat primus terminus numerorum, cum ultra eum non procedatur, nisi iteretur, & sic aliquid perfectionis habet. (In dicto Proemio tit. 20. p. ejusd. designatur causa cum suis exemplis, cur decenarius numerus fuerit electus; & septenarii numeri excellentia in prologo septem partit. invenitur; neque est obli-viscendum leg. 1. tit. 4. p. 1. ubi ratio demonstratur, cur Sacramenta sunt nec plura nec pauciora quam septem. Vide miliario leg. 2. tit. 21. p. 2.)***

Decimæ dividuntur in prædiales, seu reales, & in personales, ut colligitur ex c. Ad Apostolicæ 20. de deci-mis, & Gloss. ibi. verb. Personales. Decimæ prædiales, seu reales sunt illæ, quæ solvuntur de prædiorum, agro-rum, vinearum, prætorum, hortorum, arborum, domus elocatae, silvarum, omnibus fructibus, necnon & de animalibus, ut colligitur ex cit. c. Ad Apostolicæ 20. de decimis, & Gloss. ibi. & c. Cum in suo 30. eod. tit.

8. & c. Significavit 5. de Parochiis. Decimæ personales sunt illæ, quæ solvuntur ex acquisitis proprio cujusque labo-re, solertia, & industria, v. g. negotiatione, scientia, artificio, militia, mercatura, officio, & hujusmodi; ut colligitur ex cit. c. Ad Apostolicæ 20. c. Non est 22. & c. Pastoralis 28. de decimis, & ex c. Decimæ 66. caus. 16. quest. 1. ibi: *De militia, de negotio, de artificio redde decimas.* (Leg. 3. 11. 12. & 17. tit. 20. p. sup. citat. Vide leg. Recop. Ind. In addit. Hispan. infra art. 3. insertas cum leg. 14. & 20. ibid. Vid. etiam proximè antecess. animad-versas.) Omittitur hic tertium genus decimarum, quas varii admittunt, & vocant decimas mixtas, voluntque esse illas, quæ partim reales, & partim personales sunt, quatenus nempe partim ex natura prædiorum, & animalium, & partim ex industria, & artificio hominum proveniunt, uti sunt illæ, quæ ex lana, lacte, caseo, melle, & hujusmodi proveniunt. Iste enim decimæ mixtæ, ultraquam quod nullibi memorantur in Jure, nec de illis fit aliqua mentio in cit. c. Ad Apostolicæ 20. c. Pastoralis 28. c. Cum in tua 37. de decimis, & cit. c. Decimæ 66. caus. 16. q. 1. ex quibus colligitur solummodo decimæ prædiales, seu reales, & decimæ personales, manifestè re-ducuntur ad genus decimarum prædialium, aliis etiam omnes prædiales debent dici decimæ mixtæ, cum etiam illæ partim à natura, partim ab industria hominum proveniant, ut clarè patet in frumento, vino, & hujusmo-di, ad quæ producenda non tantum natura, sed & in-dustria hominum in excolendis v. g. agris, vineis, & hujusmodi multum conferunt. Unde merito Gloss. in cit. c. Ad Apostolicæ 20. verb. Personales, duas tantum species decimarum distinguit, personales scilicet, & prædiales, inter quas prædiales enumerat decimas, quæ ex animalibus penduntur, quæ cum pro certo non sint personales, neque rigorose loquendo possunt dici Miste, adeoque attentè jure in cap. Apostolicæ, & aliis mox ci-tatis, & in l. pecudum, ff. de usuris, & Gloss. ibid. Decimæ ad duas tantum species reducuntur, Prædialium, scilicet, & Personalem, Barbosa. de offic. & potest. Paro-chi cap. 28. num. 9. & 10. Engel. lib. 3. decret. tit. 30. num. 1. Reiffens-tuel ibid. num. 4. & alii. Præterea decimæ aliæ sunt profane, aliæ ecclesiasticæ, ut tradit Gregor. To-los. lib. 2. Synagog. cap. 20. Profane sunt quoddam genus tributi, quod olim seculares Domini, prædii subditorum imponere solebant. Ecclesiasticæ autem sunt duplicis gene-ris, aliæ scilicet sunt pure spirituales, & strictè eccle-siasticæ, & aliæ laicales, & minus ecclesiasticæ; priores sunt, quæ juxta primævam suam institutionem, & ori-ginem in signum universalis domini Dei super nos, solvuntur ipsius Dei, & ecclesie ministris pro honesta eor-um sustentatione intuitu spiritualium ministeriorum eis-terii separate, ex concessione ecclesie ob justam causam solvuntur Laicis, Layman l. 4. tract. 6. c. 1. n. 1. Gregor. Tolos. l. 2. Synag. c. 20. Pirhing. l. 3. Decret. tit. 30. num. 5. Reiffens-tuel ibid. num. 6. & alii passim.
13. Decimæ duplici modo considerari possunt. Primo modo materialiter, & secundum substantiam, quatenus sunt stipendium necessarium ad honestam sustentationem ministrorum ecclesie; Secundo modo formaliter, & secundum certam, ac determinatam partem fructuum, scilicet decimam, non octavam, vel duodecimam. Deci-mæ primo modo consideratae sunt debite ministris eccle-sie jure naturali, divino, & humano; S. Thomas 2. 2. quest. 87. art. 1. in corp. Pirhing. l. 3. decr. tit. 30. num. 6. Reiffens-tuel ib. num. 6. Engel ib. num. 2. & communissima aliorum. Prima pars de jure naturali est clara, quia jus natura, & justitia naturalis dicitur, quod sicut ecclesie ministri plebi spiritualia præbent, sic plebs illis pro sus-tentatione corporalia tribuat; est enim natura dictamen, ut qui aliquid servitium præstat, ab eodem stipendium justum recipiat. Secunda pars de jure divino habetur expresse ex variis sacra Scripturæ textibus, ut Matthæi 10. ubi Christus de ecclesie ministris loquens ait, *Dignus est enim operarius cibo suo, Luca 10. ibi: Dignus est enim operarius mercede sua, & 1. ad Corinth. 9. n. 7. ibi: Quis militat suis stipendiis unquam? & ibid. n. 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carna-*

lia vestra metamus? & ibid. n. 17. Nescitis, quoniam, qui in sacro operantur, quæ de sacro sunt edunt, & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita & Domi-nus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evan-gelio vivere. Tertia pars de jure humano clarè patet ex 17 repetitis textibus Juris Canonici, & signanter in c. Com-missum est 4. c. Pervenit 5. c. Nuncios 6. c. Cum homi-nes 7. c. Dilecti filii 8. & toto titulo de decimis. Sic etiam in Sexto Clement. & Extravagant. ubi solutio decimarum passim præcipitur. Item in c. Admonemus 2. c. Præcipi-mus 3. caus. 16. quest. 2. & cap. Decimæ 1. c. Pervenit 3. cap. Quicumque 4. cap. Omnes 5. cap. Decimas 6. cap. Majores 8. caus. 16. q. 7. Item in Conc. Trident. sess. 25. de reform. cap. 12. Hinc inferitur, quod decimæ primo modo consideratae, prout præcise continent necessariam sus-ten-tationem ministrorum ecclesie sunt eis solvendæ, etiam si aliunde habeant, unde vivant, v. g. ex patrimonio, ex artificio, & hujusmodi, quia non dantur illis ex mera misericordia, vel charitate tanquam elemosina, ut fit pauperibus; sed ex justitia, tanquam stipendium debitum laborantibus; Sic Suarez tom. 1. de Regul. tract. 2. lib. 1. c. 11. num. 9. Layman lib. 4. tract. 6. cap. 2. num. 1. Pirhing. loc. cit. num. 6. Secus autem est dicendum, si 19 ministri ecclesie sustentationem necessariam habeant ex aliis redditibus ecclesiasticis; in tali enim casu decimæ non deberent eis jure naturali ac divino, quia non habe- rent tunc rationem necessariæ sustentationis, ideoque cessaret ratio, cur decimæ dicantur esse debite jure naturali, ac divino; sicut de factis plurimis in locis minist-ri ecclesie aliunde providetur de necessaria sustentatione, ut experientia constat, & ex Layman observat Pirhing. loc. cit. n. 6.

Decimæ secundo modo consideratae, id est formaliter, 20 & secundum certam, ac determinatam partem, seu quom-tam fructuum, scilicet decimam, non octavam, vel duo-decimam, licet in veteri testamento fuerint debite ex jure divino positivo; tamen tempore novi testamenti de-beant ministris ecclesie solum ex Jure positivo canonico, seu ecclesiastico; Rota recent. part. 5. tom. 1. dec. 62. num. 20. & part. 8. decis. 31. num. 5. S. Thomas 2. 2. q. 87. art. 1. in corpore, S. Antoninus p. 2. tit. 4. cap. 3. §. Henricus, quæd. lib. 4. q. 28. aliique Theologi communiter, & plu-rimi Canonistæ cum Barbosa de offic. & potest. Parochi cap. 28. num. 7. ubi eos una cum Theologis citat, Fagnan. in cap. In aliquibus 32. de Decimis n. 9. ubi dicit, quod hoc communiter tenetur; Pirhing. loc. cit. n. 7. contra Glossam in cap. 1. de Decimis in 6. verb. Decimarum, Innoc. in c. Ultim. de Parochiis & plurimos alios Canonistas antiquos citatos, & secutos à Reiffens-tuel loc. citat. n. 13. Prima pars, nempe, quod decimæ etiam formaliter, & secundum determinatam partem in veteri testamento fuerint debite de jure divino positivo, patet clare ex cap. 22. Exodi, ibi: *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere; & ex cap. 27. Levitici, ibi: Omnes decimæ terre, sive de pomis arborum, sive de frugi-bus, Domini sunt, & illi sanctificantur, & paulo post: Omnium decimarum bovum, & ovium, caprarum, quæ sub Pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit sanctificabitur Domino. Secunda pars, nempe quod decimæ formaliter, & secundum determinatam partem capta tempore novi testamenti non debeantur de Jure naturali, nec divino positivo, sed solum Jure positivo canonico, seu ecclesiastico, probatur. In primis enim manifestum est, quod lex, & ratio naturalis plus non exig-it, quam ut congrua sustentatio præbeatur ecclesie ministris nobis spiritualia ministrantibus; neque, ut evidens est, ex vi legis nature magis illis debetur pars decima, quam v. g. pars septima, octava, nona, vigesima, vel trigesima; Quare in lege natura ante legem mosaicam nulla extabat lex decimarum, & probabile est, quod Abraham Genes. 14. & Jacob Genes. 28. non ex obligatione, sed sua libera voluntate decimas obtulerit; Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 23. quest. 2. Suarez. loc. cit. cap. 10. num. 4. Layman lib. 4. tract. 6. cap. 2. assertio. 2. §. Altera vero pars, Pirhing. loc. cit. n. 7. & colligitur ex ipsomet textu; Abraham enim cit. cap. 14. libera, & vol-untaria gratitudine obtulit decimas Sacerdoti Melchise-dech,*